

Jeremias varia vaticinia edidit. Eandem sententiam tenet Natal. Alexand. Hist. Eccles. V. T. Dissert. X. art. 9. p. m. 219. qui putat, nostrum prophetam sua vaticinia edidisse sub rege Joakim excidiumque proxime futurum denuntiasse Cap. I. 5. Ex nostris Theologis sententiam nostram approbat B. Mich. Walth. in Officina Bibl. de libro Habakuk §. 1036. qui putat, prophetam nostrum vixisse cum Jeremia instante captivitate Babylonica, quandoquidem ipse ut propheta Judaicus primum contra populum, deinde & contra Babylonios vaticinatus est.

§. 6.

Alii existimant prophetam nostrum vaticinatum esse tempore Regis Manassis, rationemque petunt (1) ex traditione Judæorum; quæ legitur in Seder Olam Rabba p. m. 55. edit. Meyer. *Tradunt Judæi, Joelem, Nabumum & Habakukum, tempore Manassis esse vaticinatos, cum autem improbus esset Manasses, eos nullam ejus mentionem fecisse.* Ea est Judæorum sententia, prophetas impij regis Manassis, propter ejus malitiam in vaticiniis nullam fecisse mentionem. Et quoniam Habakuk regis nullius meminit, putant, eum regnante Manasse esse vaticinatum. Sed quis infirmitatem argumenti non videt? Si dixeris traditionem illam satis esse antiquam, Respondeo, ejus valorem non esse majorem aliis traditionibus Judaicis, pluresque alias in Seder Olam occurrere, quæ nullius sunt ponderis. Nec illa traditio omnibus persuasa est Judæorum magistris, est enim rejecta ab Abarbanele in Commentario, aliisque, qui Habakukum pro Sunamitidis filio habuerunt. 2) Sententiæ suæ robur addere student ex statu temporis, qui Manassis tem-

tem-